



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Martini Martinii Tridentini E Societate Jesu Sinicae
Historiae Decas Prima**

Martini, Martino

Monachii, 1658

Nonus Imperator Is. Imperavit annis XVI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11848

OCTAVUS IMPERATOR HIAU S.

Imperavit annis XV.

HIAU S Is 1 s frater natu minor, exclusis nepotibus, per vim in-
vasit imperium; in quo tamen administrando pariter atque
obtinendo ars ejus & industria enuit. Equis portò mirificè
delectabatur; optimos ubique conquiri jubens. FICUM ex infimo
fortunæ gradu hominem ad amplos honores extulit, eò solùm nomi-
ne, quòd equos scitè aleret, domandique & condocefaciendi peritus
magister esset. Quin etiam cùm eorum aliquando se oblectaret aspe-
ctu, præter morem generosos atque instructos videns, industriam
FICII dynastiâ, quæ ad regionem CIN dictam spectabat, in eâ parte
provinciæ XENSI, quâ Occidenti obvertitur, munerauit. Ignarus
quantum sub eâ gratiâ inclusum lateret malum. Nam hujus FICII
posteritas, abstracto ab ejus familiâ imperio, ipsa successit, ut in tem-
pore memorabo.

Memorant, hoc Imperatore, præcipiti grandine desuper caden-
te, jumenta & homines communi ruinâ involutos atque oppressos
fuisse; inusitato etiam gelu fluvijs rigentibus.

NONUS IMPERATOR I S.

Imperavit annis XVI.

QUINDECIM violentæ potestatis annis exactis HIAU S moriens
imperium ad filium Is 1 s patrui nomen referentem transmi-
sit, longè sibi disparem, libidine ac levitate insignem; summâ
rerum ignorantia, ingenio adeò hebeti, ut quibus officijs excipiendi
tractandique venientes essent, nunquam potuerit addiscere. Ita rustico
pudore stupidus ac timens, nequid offenderet in publicum, nulos un-
quam vel legatos, vel regulos in conspectum suum admisit. At enim

N 3

privata

Cyclo 30. anno
49 ante Christum
flum 294.
Equorum
amor.

Ingenis grandis
40.

Cyclo 31. anno
4. ante Christum
flum 896.

privata socordia publici rumoris facta , imperatoriam majestatem , omnium ludibrijs exposuit ; quæ quantacunque , facile vilescit , ubi à virtute destituitur .

DECIMUS IMPERATOR.

L I U S.

Imperavit annis X X X V I I I .

LIUS ISIS filius , imperium séque ipsum superbiâ , opum prodigiâ & inprimis sævitiae infamavit . Hinc ei crudeli , quem Si-
næ L i vocant , nomen inditum . Nihil moderati , nihil pensi
habuit , ut res cunque ferebantur , dummodo animo obsequeretur , im-
perio , populo , denique sibi exitiosus .

Initia imperij HO A I G A N Australem populum , quâ C R O C E U S
mari miscet undas suas , colentem , infestum habuere . Prædas passim
agentem Imperator per Præfectos repressit quidem , at debellare non
potuit : hostilem terram ingressus , at æquè fortiter repulsus . Anno
imperij trigesimo tertio jam senex palam sævire in suos coepit . Av-
aritiâ potissimum stimulante , quam profusa luxurie hiantem exhaustæ
populi opes explere non poterant . Et cives quidem de barbarâ feri-
tate questi . mox non paucis Prælectorum communi causæ faventibus ,
unâ cum his publicè dictis scriptisq ; furentem furentes insectabantur .
Sed jam ultra remedium processerat Imperatoris obstinatio ; qui non
modò non cessit minacibus querelis , sed iratior ipse contrâ , inquiri
feverè jussit in eos , qui de se sinistre loquerentur . Et quia neminem
unum investigare potuit seditionis authorem , sævitiam in omnes
exserere statuit ; capite sanciens , ne quis quoctunque loco vel tempore ,
quacunque de causâ cum quoquam colloqueretur , ac ne müssitaret
quidem ; hac enim suspicionis calumniâ perpetuò flagellabatur ,
omnium se figi maledictis ; tormento domestico tyrannorum , semper ,
quod merentur , timentium . Ingens hominum multitudo jam è medio
sublata , in regia urbe velut quoddam justitium indixit . Nulla vox ,
passim silentium , &c ubi prodeundum in publicum , quasi muti defixis
in terram oculis attonitorum more incedere , tanquam in totum sibi
excidissent . Quia verò nequissimi etiam reges circa se habent , à qui-
bus vel iniqua jubentes audiantur , fuere tum in Præfectis aliqui , cru-
diores

Cycle 21. anno
20. ante Christum
sum 878.

Bij Tyrannie.

Leggi retata.